

Omelia XIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.40vb-44va)

Tunc ductus est ihesus in desertum a spiritu ut temptaretur a diabolo.

Tunc. Quando? Post spiritus descensum. post uocem desuper deductam, et dicentem, hic est filius meus dilectus in quo bene complacui. Et quod utique est mirabile quoniam a spiritu sancto. Hunc enim ducere hic eum ait. Quoniam enim omnia ad doctrinam nostram, et fecit et tollerauit, sustinuit et duccionem quae illic est, et luctacionem que est ad diabolum. Vt quisque eorum qui baptizantur, si post baptisma maiores sustinet temptaciones, non turbetur ut preter **expectationem** hoc eueniente. Sed maneat uiriliter omnia ferens, ut secundum consequenciam hoc contingente. Etenim propter hoc accepisti arma, non ut uaces, sed ut prelieris. Propter hoc neque superuenientes temptaciones proibet deus, primum quidem ut discas, quoniam multo factus est forcior. Deinde ut maneat **moderatus**, et neque magnitudine donationum extollaris, temptacionibus constringere te potentibus. **Cum his**, ut perniciosus ille demon, ceu dubitans de tua abscessione, ab experientia temptacio nunc certificetur, quod **finaliter** ipsum derelinquens abcessisti. Quartum ut forcior, et ferro omni ualidor hac constituaris. Quintum, ut demonstracionem manifestam accipias, creditorum tibi thesaurorum. Neque enim utique superuenisset diabolus, nisi te in maiori honore effectum uideret. Hinc itaque et ex principio insurrexit ade. Quoniam quidem multum ipsum uidit **accipientem** dignitatum. Propter hoc dimicauit ad iob. Quoniam coronatum eum et famosum effectum ab uniuersorum deo inspiciebat. Et qualiter igitur ait, orate ne intretis in temptacionem. Propter hoc non adeuntem ipsum ihesum simpliciter monstrat, set et adductum secundum dispensationis sermonem enigmatice per hec insinuans, quoniam non ipsos insilire oportet, sed attractos ibi uiriliter, et uide ubi eum accipiens spiritus attulit, non in ciuitatem et forum, sed in eremum. Quoniam enim diabolum attraere **uolebat**, non per famem solum, sed et per laborem dat ei occasionem. Tunc enim maxime instat diabolus, cum uiderit solitarios, et secundum seipsos existentes, ita et mulieri in principio institit, solam eam assumens, et sine uiro existentem inueniens. Quando enim cum aliis existentes et complaudentes uiderit, non similiter audet neque superuenit. Ideo oportet maxime et propter hoc adinuicem continue aggregari, ut non facile capiamur a diabolo. Inueniens itaque eum in heremo, et in heremo inuia, quoniam enim talis heremus erat, marcus demonstraui dicens, quoniam cum feriserat, uide cum quanta aduenit malicia et nequicia, et quale obseruat tempus. Neque enim ieunanti sed et esurienti **euenit**. Vt tu discas quam magnum bonum ieunium est, et qualiter scutum est aduersus **diabolum** maximum. Et quoniam post lauacrum non lasciuias et ebrietati, et mense habundanti, set ieunio intendere oportet. Propter hoc enim et ipse ieunauit, non ipse eo indigens, set nos erudiens. Quoniam enim peccata quae ante lauacrum erant, **seruire** uentri introduxerat, quemadmodum si aliquis egrotantem sanum cum fecisset iubet non facere ea ex quibus egritudo facta est, ita utique et hic post lauacrum ieunium ipse induxit. Etenim et adam incontinencia uentris expulit a paradiso, et diluuium quod fuit noe ipsa fecit, et sodomorum fulmina ipsa deduxit. Etsi enim fornicationis accusacio erat sed tamen alterutrius pene radix hinc orta est, quod etiam iezechiel enigmatice insinuans dixit. Veruntamen et hec iniquitas **sodomorum** quoniam insuperbia et plenitudine panum, et in superhabundantiis luxuriabantur. Ita et iudei maxima mala operati sunt, ab ebrietate et lasciuias, in iniquitatem excidentis. Propter hoc

Commented [EK1]: uel oppinionem *add. super lin.*

Commented [CN2]: [fol.41ra]

Commented [EK3]: id est tercio *add. super lin.*

Commented [EK4]: perfecte *add. super lin.*

Commented [EK5]: uel accepissem *add. super lin.*

Commented [EK6]: ad se *add. super lin.*

Commented [CN7]: uel aduenit *add. super lin.*

Commented [CN8]: [fol.41rb]

Commented [EK9]: id est seruitus *add. super lin.*

Commented [EK10]: fuit *add. super lin.*

et ipse ieiunat quadragesima diebus nobis **farmaca** salutis monstrans et non ultra procedit, ut non rursus super exessione miraculi incredulitas generetur ueritati dispensacionis. Nunc enim, non utique hoc factum est, quoniam et moyses et helias preuenientes in tantam longitudinem potuerunt exire dei detenti uirtute. Si autem ultra processisset, multis utique hinc incredibilis uideretur esse carnis assumptio. Cum ieiunasset igitur quadraginta diebus et noctibus totidem postea esuriit. Occasionem ei **tribuens** **inaccedendum**, ut infestatus monstret, qualiter oportet superare et uincere. Ita utique athlete faciunt. Discipulos enim suos docentes superesse et uincere, libenter in palestris complicantur aliis in reluctandum corporibus tribuentes his inspicere et erudiri uictorie modum, quod utique et tunc factum est. Quoniam enim uolebat ad hoc **cum** attrahere et esurire suum, ei manifestum **fecit**, et aduenientem suscepit, et suscipiens semel, et bis et ter, cum decente sibi facilitate ipsum discerpit. Sed ut non transcurrentes uictorias has, noceamus uestre utilitati, a prima incipientes **in missione**, unam quamque cum diligentia perscrutemur. Quoniam enim esuriit ait, cum aduenisset qui temptabat dixit ei. Si filius dei es dic ut lapides isti panes fiant. Quoniam enim audiuit uocem desuper delatam et decentem. Hic est filius meus dilectus, audiuit autem et iohannem **tot** de ipso testantem, deinde uidit esurientem, in angustia iam erat, et neque quia homo nudus erat, credere poterat propterea que de ipso dicta erant. Neque rursus accipere quoniam filius dei erat, quia uidebat eum esurientem. Vnde in angustias positus dubias emittit uoces, et quemadmodum adae adueniens in principio fingit eaque non erant, ut discat ea quae erant, ita utique et hic nesciens manifeste ineffabile dispensationis misterium, et quis est hic qui preferens est? alia temptat complicitate retia, per quae estimabat noscere, quod occultum et inmanifestum erat. Et quid ait. Si filius dei es dic ut lapides hii panes fiant. Non dixit quoniam esuris, sed si filius dei es. Estimans decipere eum laudibus. Ideoque famem siluit, ut non uideatur hoc ei inferre et increpare. Nesciens enim dispensatorum magnitudinem flagitio sum ei hoc esse estimabat. Ideo callide blandiens ei, dignitatis solius meminit. Quid igitur christus? Tumorem eius destruens, et monstrans non uerecundia esse dignum quod contingebat, neque indignum sue sapientie id quod blandiens ei ille siluit, hoc in medium ipse profert, et ponit dicens. Non in pane solo uiuit homo. Vnde incipit? A necessitate que est secundum uentrem. Tu autem intende perniciosi demonis illius maliciam, et unde incipit **luctationes**. Et qualiter non proprie artis obliuiscitur. A quibus enim et primum expulit hominem, et aliis decem milibus circuminduit malis, ab his et hic complicat dolum, ab incontinentia dico quae est secundum uentrem. Multos igitur et nunc est audire insipientes dicentes, decem milia propter uentrem mala, christus autem monstrans quod uirtuosum neque ipsa **tirannis** cogit aliquid non decencium facere, et esurit et non obedit precepto, erudiens nos in nullo credere diabolo. Quoniam enim primus, homo hinc et deinde offendit et legem transgressus est, ex abundanti te docet, etsi non transgressio fuerit quod ad **ipso** suadet, neque ita credere. Et quid dico transgressionem? Etsi enim aliquid utile dicant demones ait, neque ita eis intende. Sic itaque et demones obstruxit illos predicantes ipsum ihesum, et paulus rursus hoc ipsum clamantes increpauit, quamuis quod dicebatur utile erat. Sed exabundanti conuicians eis, et obstruens insidias que aduersus nos sunt, et salutaria dogmata predicantes expellebat, precludens eorum os. Et propterea neque **hic** his que dicebantur annuit. Sed quid ait non in pane solo uiuet homo? Quod autem dicit hoc est. Quod potest deus et uerbo alere esurientem, a ueteri scriptura ferens ei testimonium. Et esurientes etsi famem patiamur, etsi **quodcumque** numquam desistere a dominatore. Si autem dixerit aliquis, quod nimirum ostendisse se oportuit, interrogatorem utique eum, et cuius gratia, et propter quid. Neque enim ut **credat**, hec dixit **ille**, sed ut sicut estimabat, **incredulitatem** arguat. Quoniam et primos ita arguit et decepit, non ualde credentes deo.

**Commented [EK11]:** uel potiones *add. super lin.*

**Commented [EK12]:** diabolo *add. super lin.*

**Commented [EK13]:** colluctandum *add. super lin.*

**Commented [EK14]:** colluctationem *add. super lin.*

**Commented [CN15]:** [fol.41va]

**Commented [EK16]:** uel luctacione *add. super lin.*

**Commented [EK17]:** tanta *add. super lin.*

**Commented [CN18]:** [fol.41vb]

**Commented [EK19]:** uentris *add. super lin.*

**Commented [EK20]:** diabolo *add. super lin.*

**Commented [EK21]:** christus *add. super lin.*

**Commented [CN22]:** aliud *add. super lin.*

**Commented [EK23]:** diabolus *add. super lin.*

**Commented [EK24]:** diabolus *add. super lin.*

**Commented [EK25]:** christi *add. super lin.*

Contraria enim his que dixit deus ille promittens, et inani eos spe inflans et in incredulitatem immittens, ita et ab his que habebant bonis expulit. Sed christus monstrat seipsum, neque hinc, tunc, neque postea iudeis que huius sunt sapientibus signa querentibus annuens. Vbique erudiens nos etsi poterimus aliquid facere, nichil operari inaniter et uane, neque necessitate imminente, credere diabolo. Quid igitur nefarius hic? uictus et suadere non potens ei facere quia precipiebatur, et maxime fame tanta imminente, ad aliud procedit dicens. Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quoniam angelis suis mandabit de te, et in manibus leuabunt te. Quid utique secundum unamquamque temptacionem hoc apponit si filius dei es? Quod in prioribus fecit, hoc et nunc facit, quemadmodum enim tunc detraxit deo dicens, quoniam quacumque die commederitis, aperientur uestri oculi per hec monstrare uolens, quod decepti sunt et paralogizati, et nichil beneficii sunt adepti, ita utique et hic, hoc idem enigmaticice insinuat dicens. Quoniam inaniter te uocauit filium, et decepit munere, quoniam si non hoc est, tribue nobis demonstracione, existendi illius uirtutis. Deinde quoniam ex scripturis ei locutus est prophete inducit testimonium. Qualiter igitur christus non lacessitus est, non irritatus est, set cum multa mansuetudine, rursus ex scripturis ei loquitur dicens. Non temptabis dominum deum tuum. Erudiens nos, quia diabolus non per signa sed per innocenciam et longanimitatem superare oportet. Et nichil ad ostentacionem facere et honoris dileccionem, sed simpliciter. Intuere autem illius insipientiam, et a testimonio ipso quod inducit. Que enim a domino allata sunt testimonia, ualde conuenienter utraque dicta sunt. Que autem ab illo, male simpliciter et ut contingit neque prepositis, quod decens erat reintroducebat. Non enim utique quod scriptum fuerat, quoniam angelis suis mandabit de te, suadet proicere seipsum, et precipitare fieri aliter non dictum est de domino. Sed hoc quidem interim non arguit, quam uis et iniuriose eo utente sermone et ualde contrarie. Nullus autem a filio dei hoc querit, sed diaboli et demonum est immittere seipsum deorsum. Dei autem et iacentes resuscitare. Si enim uirtutem demonstrare oporteret, non seipsum deicientem inaniter et precipitantem sed alios saluantem, seipsum autem deicere inabrupta et precipitia illius est agminis. Ita igitur et qui apud eos erroris est auctor, ubique facit. Sed christus et his dictis nondum seipsum reuelat, sed ut homo interim ei loquitur. Dicens enim non in solo pane uiuit homo, et non temptabis dominum deum tuum, non ualde seipsum reuelatus erat, sed unum aliorum hominum se monstrantis. Ne mireris autem si pro christo loquens uertitur multociens. Quemadmodum enim pugillatores cum letales susceperint plagas, sanguine circumeffusi multo, et obtenebrati circumferuntur, ita utique et ipse a prima plaga obtenebratus simpliciter que adueniunt loquitur. Et procedit ad terciam immissionem, et adducens eum in montem excelsum, monstrat ei omnia regna, et ait. Hec omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Tunc dicit ei. Vade sathana. Scriptum est enim Dominum deum tuum adorabis et ipsi soli atriam facies. Quoniam enim iam in patrem peccabat, que illius omnia sua dicens esse, et deum studebat seipsum ostendere, ut conditorem omnium, tunc increpauit eum. Et neque tunc uehementia, sed simpliciter uade sathana. Quod et preceptum magis fuit quam increpatio. Simul enim dixit ei uade, et fugere ipsum fecit. Non enim alias tempaciones intuit. Et qualiter lucas ait, quoniam omnem compleuit temptacionem? Michi uidetur capitula tempacionum dicens omnia, dixisse. Vt et aliis in his comprehensis. Que enim decem milia continent, mala haec sunt, uentri seruire, ad uanam gloriam aliquid facere, insanie pecuniarum obnoxium esse. Quod et nequam hic cognoscens, quod omnium erat forcus, postea posuit quia pluris est concupiscenciam. Prius quidem et ab inicio parturiens uenire ad hoc. Vltimum autem hoc obseruans, ut aliis potentius

Commented [CN26]: [fol.42ra]

Commented [EK27]: eius add. super lin.

Commented [EK28]: nequam add. super lin.

Commented [CN29]: ei add. super lin.

Commented [EK30]: in contrarium add. super lin.

Commented [EK31]: uel re add. super lin.

Commented [CN32]: te add. super lin.

Commented [CN33]: et add. super lin.

Commented [CN34]: [fol.42rb]

Commented [EK35]: diabolo add. super lin.

Commented [CN36]: est uidere add. super lin.

Commented [CN37]: diaboli add. super lin.

Commented [EK38]: demones add. super lin.

Commented [EK39]: pugillantes add. super lin.

Commented [CN40]: quasi add. super lin.

Commented [CN41]: luctacionem add. super lin.

Commented [EK42]: id est cerimoniam add. super lin.

Commented [CN43]: pie add. super lin.

Commented [CN44]: [fol.42va]

Commented [EK45]: uel ob add. super lin.

existens. Etenim hec est prelii illius lex que uidentur magis claudicationem immittere, hec ultima producit. Quod et in iob fecit. Ideoque hic ab his que uidebantur esse uiliora et inbecilliora incipiens, ad id quod forcius est procedit. Qualiter igitur hunc superare oportet. Ita ut christus erudiuit. Ad deum refugientem. Et neque hinc fame humiliari credentes, potenti et per sermonem educare. Neque in his que acceperimus bonis, temptare eum qui dedit, sed sufficientes esse superiori in gloria. Humane glorie nullam habentes curam. Et ubique necessitatis superfluitatem de honorare. Nichil enim ita succumbere diabolo facit, ut quod amplius est desiderare, et auariciam concupiscere. Et hoc, et ab his quae fiunt est uidere. Etenim et nunc sunt qui dicunt. Hec tibi omnia dabimus, si procidens adoraueris me. Homines quidem existentes natura, organa autem illius effecti. Quoniam et tunc non per semetipsum solum, sed per alios ei accessit. Quod et lucas manifestans dixit. Quoniam usque ad tempus destitit ab ipso. Monstrans quod postea per propria organa ei aduenit. Et ecce angeli aduenerunt et ministrabant ei. Quoniam enim ea que immissionis erant fiebant, non dimissit eos apparere. Vt non his expelleret uenationem. Vbi autem ipsum in omnibus arguit, effugere fecit, tunc apparent illi. Vt et tu discas quoniam et te post illorum uictorias, angeli suscipient, plaudentes et in omnibus onorantes. Sic itaque et lazarum post caminum paupertatis et famis et indigentie uniuerse, angeli accipientes asportauerunt. Quod enim iam dixi, multa christus demonstrat nunc que et nos sumus accepturi.

Quoniam igitur haec propter te facta sunt, zelare et immitare uictoriam, etsi accesserit aliquis ministrorum demonis illius, et que illius sunt sentientium impropers et dicens, si mirabilis es et magnus, transfer montem, non turberis neque tumultueris, sed cum mansuetudine responde et dic, quod dominatorem audisti dicentem, non temptabis dominum deum tuum. Etsi ille gloriam et potenciam promittens, et infinitam pecuniarum multitudinem, iusserit ad orare, sta rursus uiriliter. Neque enim incommuni dominatore omnium nostrum hoc fecit diabolus solum, sed et per singulos dies in unoquoque seruorum eius, has inducit machinationes. Non in montibus solum, neque in solitudinibus, neque per seipsum, sed et in ciuitatibus et foris, et iudiciis et percognatos nobis homines. Quid igitur oportet facere? Non credere ei uniuersaliter sed et aures precludere, et blandientem odire, et cum maiora promittit, tunc magis auertere. Quoniam et eam, quando maxime spe extulit, tunc proiecit et maxima ei operatus est mala. Inimicus enim est noster infederabilis, et prelium non manifestum suscepit aduersum nos, et non ita nos studemus pro nostra salute, ut ipse pro nostra perdicione. Auertamus igitur eum non uerbis solum, set et operibus, non mente, sed actibus, et nichil faciamus eorum que illi placent. Ita enim omnia faciemus que deo placent. Etenim et promittit multa, non ut det set ut accipiat. Promittit ex rapina, ut auferat regnum et iusticiam, et ponit uelud quosdam laqueos, et plagas, thesauros in terra. Vt et his et qui in celo sunt? priuet thesauros. Et uult hic ditari, ut non ditemur illic. Etsi non poterit per diuitias ab ea que illic est requie nos expellere, aliam incedit que per inopiam est uiam, quod et in iob fecit. Quoniam enim uidit quod nullam iniusticiam, eum diuitie facere persuaserunt, per inopiam complicat retia, inde eum superare estimat. Quo quid fiet unquam amencius? qui enim diuitias potuit ferre sobrie, multo magis inopiam sustinebit uiriliter. Et qui peccunias non concupiscit presentes, neque absentes queret. Quemadmodum neque tunc ille beatus, sed ab inopia rursus clarior efficiebatur. Peccunias enim potuit auferre, pernitiosus ille demon. Amorem autem qui ad deum est, non solum auferre non potuit, set et forciolem fecit, et omnibus eum denudans, amplioribus fecit uirescere bonis. Ideoque in angustia erat, quanto enim ampliores inducebat plagas, tanto tunc forciolem uidebat effectum. Ideoque omnia pertransiens

**Commented [EK46]:** diaboli *add. super lin.*

**Commented [EK47]:** scilicet de filiis *add. super lin.*

**Commented [EK48]:** nunc *add. super lin.*

**Commented [EK49]:** instrumenta *add. super lin.*

**Commented [EK50]:** christo *add. super lin.*

**Commented [EK51]:** diabolus *add. super lin.*

**Commented [CN52]:** quoddam *add. super lin.*

**Commented [EK53]:** colluctationis *add. super lin.*

**Commented [CN54]:** [fol.42vb]

**Commented [EK55]:** temptationem *add. super lin.*

**Commented [EK56]:** coartationis *add. super lin.*

**Commented [CN57]:** Morale XIII. quod non oportet personas inspicere in consiliis, sed et sermones loquentium nobis proliare, et de resurrectione et regno et supplicio. *notum in marg.*

**Commented [EK58]:** eum *add. super lin.*

**Commented [EK59]:** uel sine preconio *add. super lin.*

**Commented [CN60]:** [fol.43ra]

**Commented [EK61]:** decipiat *add. super lin.*

**Commented [CN62]:** retia *add. super lin.*

et pertinens quoniam amplius nichil perficiebat, ad antiquum scutum id est mulierem cucurrit, et personam subinduit affectionis, et calamitates illius traigice, et ualde miserabiliter enarrat, et fingit perreptione malorum illius, perniciosum illud inducere consilium. Sed neque ita eum possedit. Etenim cognouit eius escam mirabilis ille uir, et cum multo consilio mulierem ex illo loquentem silere fecit. Quod utique et nos oportet facere. Etsi fratrem, etsi amicum proprium, etsi mulierem, etsi quemcumque necessarium nobis subindutus loquatur aliquid non decencium, non a persona haec dicente **sucipere**. Etenim et nunc multa talia facit et compassionis personam premitit, et uidetur quidem bone mentis esse. Perniciosa autem et uenenis difficiliora uerba inmittit. Iniacuram enim blanditii est illius. Erudire autem in id quod confert est dei. Neque enim reputemus, neque omnibus modis inretentibilem queramus uitam. Quem enim erudit dominus quid ait? Quare cum prosperitates assuperimus in malicia uiuentes, tunc maxime dolendum. Semper enim peccantes trepidare oportet, maxime autem cum nichil passi fuerimus mali. Cum enim secundum partem expetit penas deus. Leuem nobis facit eam que pro his est **exquisicionem**. Cum autem in singulis delictis longanimis est, in magnam nobis in eisdem permanentes, seruat uindictam. Si enim emendantibus necessaria est tribulacio, multo magis peccantibus. Vide igitur quantam longanimitatem accipiens pharao, ultimam pro his postea dedit uindictam, **quot** nabuchodonosor delinquens infine omnia solum, et diues quoniam nullum hic passus est malum, propter hoc ipsum maxime factus est miser. Quoniam lasciuens in presenti uita, abscessit illuc omnium horum daturus uindictam, ubi neque mitigationem mali erat inuenire. Sed tamen sunt quodam ita frigidi et insipientes, ut quae hic sunt solum semper inquirent, et derisibilia illa uerba dicant. Fruar presentibus interim omnibus, et tunc inuestigabo de incertis. Largiar uentri seruiam uoluptatibus abutar presenti uita, da michi hodiernam diem, et accipe crastinam, et quid ab hircis uel porcis qui haec dicunt quid differunt? Si enim eos qui in muliere proximi fremunt, non dimittit propheta homines estimare, quis nos incusabit, hos yrcos et porcicos et asinis insipientiores esse estimantes qui, ea que his que uidentur sunt aperciora, incerta esse estimant? Etsi enim nulli aliorum credis, assiste demonibus cum flagellantur, qui iniacuram nostram, et dicere et agere uniuersa meditantur. Neque enim utique ad hoc contradices. Quoniam omnia ut augeant **desidiam** nostram agunt, et gehenne exsoluant timorem, et incredibilia faciant que illic sunt iudicia. Sed tamen qui haec uolunt clamantes et lugentes multociens, que illic sunt supplicia, predicant. Vnde igitur haec dicunt, et contraria his que uolunt loquuntur? Nusquam aliunde sed quia amplio rem sustinent necessitatem. Non enim utique uellent libenter confiteri, neque quod a **mortuis** hominibus plectuntur, neque quia uniuersaliter patiuntur aliquod malum. Ad quid igitur haec mihi dicta sunt? quoniam demones confitentur gehennam, qui nolunt credi gehennam. Tu autem qui hoc frueris honore, et ineffabilibus comunicasti misteriis, neque illos imitaris, sed et his insipientior factus es? Atquis uenit ex his que in inferno sunt ait, et haec annunciauit, a celis enim aliquis aduenit et dixit. Quoniam deus est qui omnia condidit. Quoniam autem animam habemus unde manifestum est? Si enim his que uidentur, crediturus es, et de deo et angelis eius, et de intellectu et de anima dubitabis, et ita tibi omnia perhibunt ueritatis dogmata. Quamuis si **manifestis** credere uolueris, inuisibilibus magis quam his que uidentur credere oportet. Etsi paradoxum id est inopinabile est quod dictum est. Sed tamen uerum est et apud intellectum habentes ualde confessum est. Oculi enim multum falluntur non in inuisibilibus solum. Illa enim neque nouerunt, sed et in ipsis que estimant uidere, et spacio, et aere, et mente. Alias uersa, et ira, et sollicitudine, et decem milibus aliis, inpedientibus eorum certitudinem. Anime autem

Commented [CN63]: [fol.43rb]

Commented [EK64]: retribucionem add. super lin.

Commented [CN65]: quanto add. super lin.

Commented [CN66]: [fol.43va]

Commented [EK67]: sanctis add. super lin.

Commented [EK68]: apparentibus add. super lin.

**cogitacio** silumen acceperit diuinarum scripturarum, certissima et in deceptibilis eorum que sunt erit iudicatrix. Ne igitur inaniter nosmetipsos decipiamus, neque cum desidia uite huius, que per hec dogmata generatur, et pro ipsis **dogmatibus** difficiliorem nobis ipsis coaceruauerimus ignem. Si enim non est iudicium, neque noxias dabimus eorum que fecimus, neque honores eorum quae laborauimus accipiemus, intellige quo tendunt, que sunt blasphemie nostrae, cum dicatur iustum deum et amatorem hominum, et mansuetum, tot labores et sudores contempnere. Et qualiter utique habebunt haec rationem? Si enim nusquam saltem aliunde ab his que secundum tuam domum hec reputa, et tunc uidebis hoc inconueniens. Etsi enim decemmilies fueris ipse crudelis et inmisericors, et feris ipsis irrationabilior, non utique eligeres famulum qui ergate bone mentis erat, deficiens relinquere inhonoratum, sed et libertate renumeras, et pecuniarum donatione. Et quoniam ipse iam abiens nullum potes in ipsum operari bonum, hereditaturis sustanciam tuam fulmina imprecaris pro ipso supplicans et deprecans, omnia faciens ut non maneat ipse inremunatus. Tu quidem qui pernitiosus es ita benignus, et filantrophos id est amator hominum, et es misericors ad famulum, infinita autem **bonitas** deus, ineffabilis filantropia id est hominum amicitia, tanta benignitas, famulos suos qui circa petrum et paulum, et iacobum et iohannem sunt, qui per singulos dies propter ipsum esuri uerunt, ligati, feris traditi, morientes, tanta passi, quae a nullo numerari possunt. Non coronatos despiciet? Et **agonotheta** quidem, eum qui in olimpiis uicerit, famosum reddit et coronat, et dominator famulum, et rex militem, et unusquisque simpliciter ministrantem sibi quibus potest remunerat bonis, deus autem solus post tantos sudores, et labores, non paruam non magnum eis bonum retribuit? Sed iusti et pii illi qui omnem **uirtutem** pertransierunt, in eisdem iacebunt cum adulteris et parricidis et homicidis, et sepulchorum uiolatoribus et ubi hec utique habebunt rationem. Si enim nichil est post eam que hinc est abscissionem, sed nostra usque ad presenciam sunt, in eisdem illi sunt cum his. Magis autem neque in eisdem secundum tuum **sermonem**, sed hic in remissione quidem huius, in supplicio autem **illi** per omne tempus **facti** sunt. Et qualis hoc tyrannus quis crudelis homo et inmitis, ita de his qui eius sunt unquam consiliatus est famulis et ministris id est incontinencie superhabundantiam, et ubi desinit sermo hic? Quapropter et sinus quam aliunde uolueris, ab his **cogitacionibus** eruditus, liberare a perniciose hac suspicione, et fuge maliciam et laboribus qui pro uirtute sunt ad iungere, et tunc nosces manifeste. Quoniam non usque ad presentem uitam, stant que nostra sunt. Etsi aliquis interrogabit te, quis ueniens annunciauit que illic sunt, dic ad eum hominum quidem nullus. Non crederetur enim utique multociens ceu augens et extollens rem. Angelorum autem dominator, omnia illa cum certitudine annunciauit. Quid igitur hominis nobis est necessitas, nos uel ex nobis expetitur noxias, per singulos dies clamantis, quoniam et gehennam preparauit, et regnum constituit, et horum nobis demonstrationes tribuentis manifestas? Si enim non esset iudicaturus, neque hic uindictam expeteret. Etenim et hoc ipsum qualiter utique haberet rationem. **Malorum** hos quidem puniri, hos autem non puniri? Si enim non personarum acceptor est deus, sicut neque est, quid utique unquam hunc quidem expetiit uindictam, illum autem dimisit in punitum abire? Hoc enim rursus priore magis est difficilius, sed uultis cum bona mente audire que dicuntur, et hanc **dissoluamus** aporiam id est questionem. Que igitur est **solutio**? Neque omnes hic expetit **uindictam**, ut non ignores resurrectionem, et desperes de iudicio, quasi omnibus hic **dantibus** rationem, neque omnes inopine dimittit abire, ut non rursus inprouisa esse omnia estimes. Sed et punit et non punit. Per eos quidem quos punit, monstrat quod et illic, non punitos hic expetet **rationem**, per eos autem quos non punit, preparans

Commented [EK69]: uel mens add. super lin.

Commented [CN70]: [fol.43vb]

Commented [CN71]: ipsa add. super lin.

Commented [CN72]: id est agnum positum

Commented [CN73]: [fol.44ra]

Commented [EK74]: uel rationem add. super lin.

Commented [EK75]: boni add. super lin.

Commented [EK76]: positi add. super lin.

Commented [EK77]: uel rationibus add. super lin.

Commented [CN78]: hominum add. super lin.

Commented [CN79]: [fol.44rb]

Commented [EK80]: haec add. super lin.

Commented [CN81]: ad add. super lin.

Commented [EK82]: reddentibus add. super lin.

Commented [CN83]: ad add. super lin.

te credere, quoniam est aliquid post abscissionem que hinc est iudicium terribile. Si autem uniuersaliter priorum non curam habuisset, neque punisset quosdam hic, neque benefecisset. Nunc autem uides ipsum propter te, et celum tendentem et solem accedentem, et terram fundantem, et mare effudentem, et aerem expandentem, et lune ordinantem cursus, et horis anni immobiles ponentem leges, et alia autem uniuersa nutu illius suum cum certitudine expleantia cursum. Etenim natura nostra, et irracionalium reptilium, gressibilium, uolatilium, natatiliu, eorumque in stagnis, eorumque in fontibus, eorumque in fluuiis, que in montibus, que in saltibus, que in domibus, que in aere, que in campis, et plante, et semina, et arbores, et siluestres, et domestice, et fructifere, et omnia simpliciter que ab infatigabili illa manu mota, nostram dispensant uitam, non ad utilitatem solum, sed et ad uoluptatem, ministerium nobis ex seipsis tribuencia. Tantam igitur uidentes bonam ordinationem, quamuis neque minimam dixerimus partem, audes dicere quod qui tanta et tam magna operatus est propter te in his que maxima sunt te despiciet, et cum asinis et porcis dimittet defunctum iacere, et dono te tanto pietatis honorans, quo et angelis fecit equalem, contempnet te post decem milia labores et sudores, et qualiter utique habebunt hec rationem? Hec enim etsi nos siluerimus lapides clamabunt, ita aperta et manifesta, et ratio ipsa excelsiora. Hec igitur omnia excogitantes et suadentes nostram animam quoniam post abscissionem que hinc est, et tribunali asistemus terribili, et rationem dabimus omnium quae fecimus, et noxias sustinebimus, et uindictam tolerabimus si manserimus deliquentes, et coronis et bonis ineffabilibus fruemur, si parum nobis ipsis intendere uoluerimus, et contradicencium ora in his obstruemus, et ipsi uirtutis uiam eligemus. Vt cum **propalatione** decenti in illud iudicium abeuntes, promissis potiamur bonis. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [CN84]: [fol.44va]

Commented [EK85]: audacia add. super lin.